

rant indignis e. 2. h. t. de qua materia vide supra Lib. I. Tit. VI. §. X.

6 V. Excessus est, si Episcopi privilegiatis & exemptis presertim Regularibus aliquid precipiant, injungunt, interdicunt, aut prohibent, aut derogant contra tenorem suorum privilegiorum, e. Sane s. h. t. ubi etiam conceditur, quod hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Praelati Regularis possint autoritate Apostolica obedientiam denegare. Concordat C. cum ad quorundam. 7. h. t. ubi etiam declaratur, Excommunicationem latam contra Subditum, quia non patet contra privilegium, esse ipso jure nullam.

7 Enarrantur Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum secularium contra Regulares quindecim Excessus. c. Nimis in qua. 16. h. t. ibi: Nimis iniqua: & infra Cum Religiosi viri abnegantes salubriter semitibus, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: non desunt plerique tam Ecclesiarum Praelati, quam alii, qui aetate cupiditate seducti, propria avaritiam subtrahit reputantes, quidquid praedictis fidelium pietas elargiunt, quietem ipsorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra Regulam a Sede Apostolica approbatam, & sui Oranis instituta, ipsis invitis eorum Confessiones audire, ac eis injungere penitencias, & Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut Corpus Christi in Oratoriis reservetur: & fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas compellunt sepeliri, & eorum exequias celebrari: & si quis decedentium Fratrum alibi, quam in suis Ecclesiis eligat sepulturam, sanus primis ad Ecclesias suas deferri cogunt ut oblatio suis usibus cedat. Nec sustinentes eos habere campanam, vel Cimiterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt quoque in domibus eorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, nec non cereorum, lampadum & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter opponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt, quod novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesiis suis celebrent primas Missas eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, & reservent: quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine consentientes, quod eisdem tam in ornamentis Altaris, quam in libris Ecclesiasticis absolute consentitur, vindicant perperam juri suo. Quocirca mandamus quatenus universi & singuli a praenotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ad hujusmodi archibus compescendo.

8 Ulterius c. Nimis prava. 17. eod. enarrantur Praelatorum Ecclesiasticorum secularium Excessus & gravamina contra Fratres Praedicatorum, & Fratres Minores in specie. Nimis prava: & infra: Cum quidam viri Religiosi ut puta, fratres praedicatorum & Minores (quorum Ordinem & Regulam Sedes Apostolica noscitur approbasse) in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, plerique Praelati, & alii eos ad Synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subjacere, nec bis consenti Capitula servituta in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se committantur, fidelitatem juramento firmatum ab eorum Ministris & Custodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra Civitates quam intra eam eis processionaliter veniant, ex levi causa mandantes, Excommunicationis sententiam fulminant in Beneficiorum ipsorum: & idipsum Fratribus commi-

nantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, fatogunt amovere, nisi eis obediant in omnibus supra dictis. Ad hoc ne Fratres ad honorabiliores Civitates, & villas, ubi Religiose & honeste valeant commorari, a populis devote vocari accedere audeant inhibentes, tam in accedentes Fratres, quam in receptores eorum praesumunt Excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus Decimas, necnon de habitaculis Fratrum (sicut de Judaeorum domibus) contendunt redditus extorquere: afferendo, quod nisi Fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solvantur. Et ut ipsos suos subdant totaliter ditioni, eisdem Ministros & Custodes volunt praeficere pro sua arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus universi & singuli a praenotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ad hujusmodi archibus compescendo.

Insuper Clem. un. h. t. triginta hujusmodi Excessus adducit, quibus adductis generaliter concludit, ut sequitur: Et generaliter, quamplures Praelati Religiosi, praesertim exempti & Privilegiatis in personis & rebus suis ac iuribus, ac Spirituibus & temporalibus graviter inferunt, contra iustitiam & eorum privilegia, injurias ac iacturas. Verum quia una est regularium & secularium Praelatorum, & Subditorum exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, & unum Baptisma: decet ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unus etiam sint voluntatis, & sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut & Praelati & alii tam exempti, quam non exempti suis iuribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non proficiat seu iacturam. Universis itaque Praelatis Ecclesiarum praesentis sanctionis edicto districte precipiendo mandamus, quatenus ipsi a praedictis gravaminibus omnino cessantes, & cessata suos subditos facientes, viros Religiosos exemptos, privilegiatos, & non exemptos mendicantes & non mendicantes, charitative tractent & seveant, & sua jura & privilegia inviolabiliter eis servant. Et quoniam plus solet timeri, quod specialiter, quam quod generaliter inhibetur, eisdem Praelatis districte in hunc modum, ut Abbates, Priores, & alios Religiosos, ne ad sua Generalia, vel Provincialia vadant Capitula, impedito quomodolibet non praesumant.

19 Fatendum tamen, quod in nonnullis casibus Episcopi tanquam Sedis Apostolicae Delegati non obstantibus Regularium privilegiis possint procedere contra illos vi Concilii Tridentini, per quod, uti etiam per aliquas Constitutiones Pontificias quaedam eorum privilegia fuere revocata: quaedam autem illa sint, dicemus infra Tit. XXXIII. de Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

VI. Faciunt etiam Excessus aliquos Praelati Episcopis inferiores, si sibi subiectas Ecclesias propria autoritate uniant, c. Sicut. 8. h. t. Ceterum quid juris de unionem Beneficiorum, habes supra Lib. III. Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminut. §. III. Item si praesumptum cognoscere & iudicare de causis Matrimonialibus, vel concedere indulgentias, vel imponere penitencias publicas; quia hi actus ad solam pertinent dignitatem Episcopalem, nisi Abbates, vel alii Praelati Episcopis inferiores ex privilegio Apostolico, vel legitime praecipia consuetudine aliud quid Jurisdictionis circa habeant. c. Ad audientiam. 12. h. t.

VII. Committunt Excessus Praelati Regulares, 12 dum contra formam a Jure & Constitutionibus Pontificiis praescriptam aedificent Monasteria. De qua materia vide Lib. III. Tit. XL. §. II. Dicitis tamen

tamen ibidem pauca hic addenda, videlicet, quod forma ibidem praescripta, & consequenter etiam consensus Ordinarii necessarius non sit:

13 Primus, quando reaedificantur Monasteria ab Haereticis occupata, & destructa. Donatus p. 2. tr. 1. q. 24. Roderiq. Tom. 2. q. 49. & 99. Lezana y. Monasterium. nu. 49. & alii. Ratio est; quia per hanc reaedificationem jus novum non acquiritur, cum jus antiquum per Haereticorum usurpationem non extinguitur.

14 Secundo eadem forma & consensus necessarius non est in reparatione, reedificatione, & ampliatione Monasteriorum. Donatus loc. cit. q. 23. Roderiq. loc. cit. Glossa in can. Monachus. cau. 18. q. 2. Ratio est; quia Jura cit. Lib. III. Tit. XL. §. II. allegata loquuntur de erectione novi Conventus, quo novum jus novaeque titulus in aliquo loco acquiritur, quod cum non fiat in reparatione, & ampliatione Monasterii, ad hanc praestata Jura utpote poenalia & odiosa extendenda non sunt.

15 Tertio, quando aedificatur Monasterium in loco exempto, & nullius Dioecesis existente. Laurent. de Franch. p. 1. Controvers. inter Episcop. & Regular. nu. 495. Ratio est; quia neque antiquiora, nec recentiora Jura consensus Ordinarii, & alia ad tale Monasterium requirunt: cum Concilium Tridentinum licentiam Ordinarii requiratur duntaxat ad erectionem Monasterii in ejus Dioecesi: Constitutio vero Clementis VIII. Quoniam §. 1. in locis eorum ordinariae Jurisdictioni subiectis.

16 Dicitur autem notanter, & nullius Dioecesis, casu enim, quo locus quidem exemptus certae tamen Dioecesis existit. forma praescripta omnino servanda est. Donatus loc. cit. q. 40. Cochier. de Jurisdictione Ordinarii exemptis. p. 2. q. 45. n. 36. arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regularib. cap. 3. & c. Autoritate de Privileg. in 6. ubi expressè habetur: Inhibemus ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant.

17 Putat quidem Roderiquez Tom. 2. q. 40. art. 9. etiam in casu, quo in eadem Civitate transferitur Monasterium ab uno v. g. minus commo, aut sano loco ad alium locum non requiritur consensus Episcopi, eo quod Jura hunc requirentia tantum de erectione novi conventus loqui videamur; nihilominus contraria sententia, quam tenet Donatus loc. cit. q. 26. Bordonos Miscell. Decisio. 125. & alii, probabilior, & in praesenti amplectenda est. Ratio est; quia consensus Episcopi ad talem translationem requiritur Jure antiquo, can. Si quis vult. 41. cau. 16. q. 7. ibi: Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, sicut cum consilio Episcopi, ubi per Consilium intellige consentium facient omnes Doctores teste Donato. Jura autem nova cum antiquum non correxerint, ab illo interpretationem recipiunt. Accedit bina declaratio Cardinalium in favorem hujus doctrinae edita, de qua testatur Donatus loc. cit. n. 7.

18 Queritur II. Quinam ad propositum hujus Rubricae spectales hic notati sint Excessus Subditorum. Resp. Sequentes videlicet, I. Quando Subditi, etiam ceteroquin Praelati inferiores tamen Episcopo, indicata ab eo Festivitates, & Censuras latas non observant, c. fin. h. t. & Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 12. Siguidem Regulares exempti in his obediunt tenentur Episcopo, prout amplius dicitur et Lib. I. Tit. XXXI. de Offic. Judic. ordinar. n. 126.

19 II. Excedunt Clerici Episcopis subditi, si negant Episcopum esse Dominum suum, cum si agant contra fidem Homagii, reverentiae, & obedientiae Reiffenjuel Jus Can. Tom. V.

in recipiendis Ordinibus, vel Beneficiis promissilem si in causa spirituali vel Ecclesiastica illum trahant ad Forum Seculare, vel auxilio jvant; prout refertur c. Gravem. 15. h. t. ubi etiam jubetur Beneficio privari, qui aliquem ex his rebus Excessibus contra Episcopum committit, Glossa. fin. ibid. Pithing h. t. n. 31. & 32.

III. Excedunt Clerici privati alicujus Communis si absque licentia Superioris sibi faciunt, & usurpant Sigillum Communitatis, c. Delicta 12. h. t.

IV. Fit Excessus tam a Regularibus, quam Saecularibus Praelatis, & inferioribus utriusque sexus, si violantur Clausulae Monasterium per ingressum vel egressum: de qua materia vide Lib. III. Tit. XXXV. De statu Monachorum. §. II.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Nuntiatio novi Operis quid?
- 3 Fit circa sola futura, seu nondum perfecta opera.
- 4 Censetur autem novum Opus facere, non solum qui aedificando, sed etiam qui destruendo, ampliando faciem Operis mutat.
- 5 Intellige in Operibus solo adhaerentibus.
- 6 Nuntians novum Opus potest, sed non tenetur acceptare ab aedificante cautionem de Opere destruendo, si jure non sit aedificatum.
- 7 Solvitur Obiectio.
- 8 Nuntiatio novi Operis fieri potest a quovis etiam privato, cujus interest.
- 9 Idque tribus modis, videlicet, vel verbis, vel jactu lapilli, vel per praetorem.
- 10 Si quis in nostro aedificat, melius est per Praetorem, vel jactum lapilli, quam solis verbis nuntiare novum Opus; & quare?
- 11 Ad Nuntiationem novi Operis non requiritur certa verborum forma, potestque fieri per Substitutum.
- 12 Et quovis etiam Feriato die, dummodò fiat in vel prope locum.
- 13 Potest fieri contra quemvis etiam proprium Superiorem.
- 14 Sive dein in suo, sive in alieno in praedictum alterius aedificet.
- 15 Datur etiam contra aedificantes Capellam, vel aliud aedificium pium.
- 16 Nisi hoc ex justa culpa per Episcopum cognita, coque concedente erigatur.
- 17 Nuntiatio ex tribus causis fit.
- 18 Cui nuntiat novum Opus, illic tenetur destruere ab aedifico, vel propriis expensis destruere, quod post nuntiationem aedificavit, etiam opus pium.
- 19 Sive dein justè, sive injustè aedificavit.
- 20 Quin ante omnem cognitionem judicalem, non jure aedificatum sit, destruere debet aedificium.
- 21 Is, cui nuntiat novum Opus, debet expectare per tres menses.
- 22 Si quis in eo, quod possidemus, aedificat, possunt propria autoritate etiam per vim impedire aut destruere.
- 23 Vin vi repellere omnia Jura permittunt.
- 24 In suo aedificantem nemo privata autoritate violenter impedire, aut aedificatum ab eo destruere potest.



...muntisse proponis, non obstante cautione, que...

22. Quaritur III. An quis propria auctoritate...

23. Ratio est; quia in tali casu vis vi repellitur...

24. Resp. II. Si quis non in eo, quod possides, sed...

25. Resp. III. Si quis etiam in suo aedificat, & post...

repellere. Major hujus fillogisimi est certa per clara...

Minor, in qua est tota difficultas, probatur cla-...

Nec refert, quod aedificans post Nuntiationem...

Dicitur autem notanter, aedificatum post Denun-...

Queritur IV. An, & in quibus casibus Nuntiatio...

Non obstant textus Juris c. i. h. t. cum Concord. ubi

phi habetur ad Nuntiationem novi Operis alteram...

31. Fatendum tamen, hoc non obstante opinionem...

32. II. Quando periculum in mora est, ita, ut ex...

33. III. Si Nuntians novum Opus cautionem ab aedi-

34. IV. Si Nuntians ad instantiam aedificantis jura-

35. V. Si Nuntians intra trimestre non satis probat...

36. VI. Si Juxta Nuntiationem, quam fieri iussit...

37. Queritur V. An quilibet in suo fundo aedifi-

regulariter loquendo id fieri posse: adeo ut non...

Dixi in responsione, regulariter loquendo: fallit...

11. Si ex novo aedificio vicini aedibus imminet...

111. Recte nuntiat novum Opus, si quis tantum...

IV. Favore Religionis ac boni publici quandoque...

Similia habet P. Hyacinthus Donatus in Praxi...

Eandem materiam atque sententiam suscitavit...

competat loco Religioso favore Religionis & honestatis, frustra dicitur id pretio redimendum.

TITULUS XXXIII

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiarum.

Materia hujus Rubricæ scitu utilis est Regularibus.

Elebris est præsens Titulus, scitæque utilissimus, præsertim Religiosis Mendicantibus dverta Privilegia Sede Apostolica habentibus: unde ut melius explicetur, simulque ob sui prolixitatem, expedit plures ponere Paragraphos.

§. I.

De Natura, & Divisione Privilegiarum.

SUMMARIUM.

- 1 Privilegium minus propriè.
- 2 Et propriè loquendo quid?
- 3 Dicitur Lex privata, & quare?
- 4 Quæ de Jure competunt, Privilegia propriè non sunt.
- 5 Privilegium variis nominibus in Jure venit: & quibus?
- 6 Privilegium aliud est contra, aliud præter Jus.
- 7 Quorum illud est propriè delictum Privilegium; istud verò minus propriè, & potius beneficium.
- 8 Privilegium contra Jus est, strictè interpretationis, præter Jus verò late.
- 9 Privilegium aliud est in corpore Juris clausum, Aliud extra Corpus Juris.
- 10 In quo differant?
- 11 Aliud est reale, aliud personale.
- 12 Differentia inter utrumque.
- 13 Aliud mixtum.
- 14 Aliud certo personarum generi concessum.
- 15 In dubio an Privilegium personale, aut reale sit, quid Juris?
- 16 Rursus aliud Privilegium est merè gratiosum, aliud remuneratorium.
- 17 Aliud perpetuum, aliud temporale.
- 18 Quid sit Privilegium purum, & conventionale?
- 19 Per se, & ad instar concessum.
- 20 Communitatis, & privatorum?
- 21 Privilegio Communitatis privatus renuntiare nequit: bene verò Privilegio privatorum.
- 22 Privilegium proprio motu, & ad preces concessum?
- 23 Privilegium vite vocis oraculo, & literis concessum quid?
- 24 Quæritur I. Quid sit Privilegium? Resp. I. Quamvis Privilegium quandoque accipitur per Rescriptum, seu Instrumentum scripto, in quo gratia, seu beneficium Principis continetur, seu conceditur, arg. c. Cum dil. cla. de Confirm. util. & inutil. ex c. Ex parte h. i. Communiter tamen & magis propriè Privilegium accipitur, pro ipsomet jure & beneficio, seu gratiâ cuiuspiam à Principe concessâ. Hinc propriè loquendo de Privilegio.
- 25 Resp. II. Privilegium dicitur Lex privata contra, vel præter Jus aliquid concedens: c. Privilegia dist. 3. & c. Abbas de Verbor. significat. ibi: Cum Privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret. Dicitur autem Lex,

non quòd obligationem inducat respectu ejus; cui datum est (nam Privilegium est lex privata, non utranque sed qua cuiuspiam jus, beneficium, vel gratiâ à Principe conceditur, nemo autem beneficium sibi concessio uti cogitur, arg. l. Invito. ff. de Reg. Jur. ibi: Invito beneficium non datur) sed quoad alios, quibus præcipitur, ut illud observari faciant; vel prohibetur, ne impediant. Pirhing. h. t. n. 2.

Et additur privata: quia Privilegium conceditur ob bonum privatum Privilegiati, certè v. g. personæ, particularis alicujus Collegii, Universitatis, Religionis, Monasterii, Ecclesiæ, Civitatis &c. Cui ex Privilegio, favore, & gratiâ datur facultas aliquid agendi, vel omittendi, vel percipiendi contra, vel præter legem, aut Jus commune: dum econtra lex communis respiciat, & feratur ob bonum totius Communitatis.

Dicitur insuper contra, vel præter Jus; quia quòd Jure communi competit, frustra per Privilegium impetratur. arg. l. i. c. de Theauris. lib. 10. ibi: Superfluum est hoc precibus postulare quod jam lege permisum est. Interdum tamen talia à Principe conceduntur ad majorem confirmationem & securitatem, ut fit c. Quia in causa. de Procurat. &c. Bisi Christus. §. fin. de Jurejurand. Quæ tamen non sunt propriè dicta Privilegia, sed potius declarationes Juris communis, vel naturalis.

Potèrò Privilegium varia habet nomina in Jure, quæ quasi synonyma sunt. Quandoque enim etiam vocatur Jus singulare, l. 16. ff. de Legib. subinde Indulgentia, c. Dudum. 31. h. t. Item Exceptio, l. Ex præstatione. 7. c. de Velligal. subinde Specialis largitas & prærogativa, ut l. fin. C. de fruct. & lit. expens. subinde Concessio, ut l. 1. prim. ff. de Testament. milit. item Constitutio personalis, §. 6. Insti. de J. N. G. & C. Item Lex propria, l. Municipalem. 21. §. fin. ff. ad Municip. Item Rescriptum, Diploma, Indultum, Principale, Favor, Gratia, Immunitas, &c. Azorius Insti. Mor. lib. 5. cap. 22. q. 1.

Quæritur II. Quotplex sit Privilegium? Resp. cum communi Doctorum, varias esse Privilegiarum divisiones. Et quidem primò aliud Privilegium est contra Jus, ut Exemptio à solvendis Decimis, vel à jurisdictione Ordinarii, & hujusmodi, quæ conceduntur contra Jus commune. Aliud præter Jus, five (ut alii loquuntur) ultra Jus: v. g. potestas absolvendi à Reservatis, vel dispensandi, & hujusmodi, quando videlicet ipsamet materia, seu actus privilegii non est quidem in se Jure prohibitus, sed tamen non nisi certis personis concessus.

Differunt primò; quia Privilegium contra Jus dicitur propriè Privilegium, arg. l. Jus singulare. ff. de Legib. ibi: Jus singulare est, quòd contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate custodientium introducum est. Nam per Jus singulare intelligitur Privilegium, quale loc. cit. dicitur esse contra tenorem rationis, id est, contrarationem Juris communis seu legis, prout ex antecedentibus verbis liquet. Econtra Privilegium præter Jus meretur quidem nomen Privilegii (cum & ipsi competat definitio Privilegii ut sic, id quòd sit lex privata, & favorabilis ex speciali gratiâ Principis concessa) non tamen adeò strictè sumitur, ob rationem prædictam ex textu Juris desumptam, ac potius dicitur beneficium Principis. Beneficium enim strictè sumitur pro gratiâ concessâ à Principe præter Jus, ut notat Abbas in Rubrica de Rescript.

Differunt ulterùs, quia Privilegium contra Jus plerumque est strictè interpretationis, arg. c. Porro, & c. Sanè. de Privil. g. Alia verò Privilegia præter Jus, cum sint merè gratiæ ac beneficiæ Principis, latè interpretari debent, prout suffus diximus

diximus Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. num. 130.

Secundò, Privilegium aliud est clausum in Corpore Juris; aliud extra Corpus Juris, seu datum per speciale Rescriptum Principis. Privilegium clausum in Corpore Juris dicitur, quòd certis rebus vel personis concessum contra vel præter alias leges, Corpori Juris communis insertum est: ut sunt quam plura privilegia Ecclesiarum ac personarum Ecclesiasticarum, pupillorum, studiorum, militum, ac hujusmodi, quæ passim habentur in utroque Jure. Privilegium extra Jus dicitur, quòd per speciale Rescriptum (seu per speciales litteras Principis) cuiuspiam persone, loco, seu Communitati concessum est, & necdum Juri communi insertum.

Differunt isthæc Privilegia quoad effectum: nam Privilegium in Corpore Juris clausum non debet Juxta ignorare, & si quid contra illud præcipitur, non tenetur Privilegiatus obtemperare, arg. c. Cum ad quorundam de Excessib. Prelator. Econtra Privilegia extra Corpus Juris, cum sint facti, potest Juxta ignorare, & si quid contra Privilegium mandet, vel aliquem contra tale Privilegium specialiter extra Corpus Juris concessum ciet, tenetur Privilegiatus saltem pro reverentia Judicis comparere, & seum Privilegium ostendere, eique vel ipsius Deputato in loco congruo ac securo ad legendam integraliter exhibere, prout habetur c. cum persona. ff. de Judiciis, ibi: In jus vocati veniant privilegia sua allegaturi. Alias differentias adducit Ludovicus Engel h. t. n. 2. sed brevitatè gratiâ omittimus.

Tertiò, Privilegium aliud est reale, aliud personale, aliud mixtum. Privilegium reale dicitur, quòd proximè & directè confertur rei, loco, muneris, dignitati (v. g. Prædio, Ecclesiæ, Monasterio, Prælatore, causæ &c.) in consequentiam verò personis, quæ talem rem, locum, officium, vel causam habent. Privilegium personale est, quòd proximè & directè confertur personæ sine contemplatione rei arg. c. Mandata de Præsumpt. ibi: Quas non loco tribuimus, sed persone &c. & alibi.

Differunt autem plurimùm: siquidem Privilegium reale cum conhereat rei, transit ad quoscunque successores, & possessores: Privilegium autem personale personam sequitur, & extinguitur cum persona ut loquitur Reg. 7. Jur. in 6. Concordat l. Privilegia. ff. de Reg. Jur. ibi: Privilegia quædam causæ sunt, quædam persone: & idè quædam ad heredes transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ persone sunt ad heredes non transiunt. Adde l. In omnibus. ff. eod. ubi dicitur: In Omnibus causis id observatur, ut ubi persone conditio locum facit beneficio, ubi deficiente ei beneficium quoque deficiat. Et hujusmodi Privilegium dicitur Privilegium singulariter personale, eò quòd uni tantum personæ per se & directè concedatur.

Datur etiam Privilegium mixtum, hoc est, partim personale, partim reale, eò quòd multum de natura realium participet. Talia Privilegia sunt, quæ conceduntur certo Corpori aut Collegio personarum (& idè à quibusdam Privilegia corporalia nuncupantur) atque hæc non tantum illis competunt, qui defacti in tali Corpore vel Collegio vivunt, sed etiam transmittuntur ad eorum Successores.

Huc spectat Privilegia, quæ dicuntur communiter personalia, & certo personarum generi conceduntur. Tale imprimis est Privilegium restitutionis in integrum concessum Minoribus (id est, illis qui ante 25. annum completum in aliquo contractu graviter læsi sunt) quòd etiam ad heredes transit. l. Non solum. ff. de Restitut. in int. gr. Tale est etiam Privilegium S. C. Vellejani concessum

fœminis, ne ex fidejussione obligentur. Item Privilegium S. C. Macedoniani concessum filisfamilias, ne ex mutuo sine consensu patris accepto obligentur. Adde Privilegia Clericorum, Studioforum, Militum, & hujusmodi.

Cæterùm in dubio, an Privilegium aliquod sit merè personale, vel reale, ex materia, causâ, & tenore illius colligendum est. Quòd si exinde satis cognosci non potest, videre oportet, an Privilegium hujusmodi sit merum beneficium & gratiâ, nec Juri communi, nec privato contrarium vel odiosum; illud enim, seu merè beneficium, in dubio præsumitur reale, utpote quòd tanquam beneficium Principis permanere oportet, c. Decet. 16. de Reg. Jur. in 6. & l. fin. ff. de Constitut. Princip. Illud verò, seu odiosum, utpote à Jure exorbitans, personale, & consequenter cum persona extingui censetur arg. c. Que à Jure, 28. de Reg. Jur. in 6. Dominatus Tom. 1. p. 1. tr. 4. q. 3. nu. 2. Suarez lib. 8. de Legib. cap. 3. n. 18. Palao Tr. 3. Disp. 4. pun. 2. §. 1. n. 16.

Quartò, Privilegia alia sunt merè gratiosa, alia remuneratoria. Ex his Privilegia merè gratiosa, seu quæ ex mera concedentis gratiâ, non intuitu meritum, seu in illorum compensationem proficiuntur, habent tacitam conditionem, ut tàm diu durent, quàm diu Principi, vel ejus Successori placeant. Privilegia verò remuneratoria sunt, quæ intuitu meritum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, expensarum &c. in bello, in conversione Infidelium, Hæreticorum, Rebellium, Schismatis &c. exhibitum, aut exaltatorum, tanquam in præmium, & quandam remunerationem, seu compensationem dantur: quæ Privilegia remuneratoria etsi in dubio censentur personalia, arg. l. i. ff. de Constitut. Princip. ibi: Quæ Princeps alicui ob merita indultis, personam non egrediuntur; tamen etiam realia esse possunt, adeò ut propter merita personæ unius Privilegium toti alicui Familiæ, Religioni, Provinciæ concedi valeat, & nonnunquam soleat teste experientia.

Quintò, Privilegium, aliud est perpetuum, aliud temporale. Perpetuum est, quòd vel adhæret rei de se perpetuè, vel conceditur absque limitatione temporis. Et dicitur perpetuum, non quòd amitti non possit, sed quia de se durat, donec revocetur, aut alia de causâ amittatur. Privilegium temporale est, quòd concessum est pro determinato tempore, v. g. ad decennium, vel ad dies vitæ personæ privilegiate, ut est Privilegium singulariter personale. Huc spectat Privilegium datum sub conditione, quæ lapsu temporis finitur: item Privilegium concessum à Principe, donec decefferit, vel sub clausula, usque ad beneplacitum meum; nam tale exprimit morte concedentis, utpote quâ omnimò extinguitur ejus beneplacitum, c. Si gratiosè de Rescriptis. in 6. Secus est, si gratia vel privilegium concedatur sub clausula, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum: tunc enim, quia Sedes non moritur, durabit perpetuò, nisi à Successore revocetur, prout loc. cit. expressè subjungitur.

Sextò, Privilegium aliud est purum, aliud conventionale. Illud est, quòd sine aliqua conventionte, & reciproca obligatione conceditur. Illud verò, quòd interveniente hujusmodi conventionte & obligatione ad aliquod dandum aut faciendum &c. sicque quodammodo emi, aut per contractum onerosum acquiri censetur, Suarez loc. cit. q. 4. num. 9. Palao loc. cit. §. 3. n. 2.

Septimò, Privilegium aliud est cuiuspiam per se primò specialiter concessum, aliud concessum ad instar. Illud est, quòd cuiuspiam conceditur sine ordine ac respectu privilegii prius alteri concessi. Illud verò, quòd conceditur ad instar privilegii